



Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1572 usque ad annum 1581

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1772

VD18 90118642

§. 6. Ordo sancti Basilii a summo Pontifice restauratus.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67232](https://nbn-resolving.de/urn:nbn:de:hbz:466:1-67232)

Sæcul. XVI. tat. Adimpletis hisce conditionibus
A C. 1579. præteriorum oblivio Comiti spondebatur: si vero illas acceptare renueret, exilii pæna, bonorumque proscriptio eidem intentabatur. Verum Comes, ejusque Fratres hæc in responsis dabant: „arma nonnisi pro tuenda fide „Catholica arripiimus, sumini Pontifi- „cis, Regisque Hispaniæ consensu suf- „fulti: quapropter ipsum Pelhamum „hortamur, ut & ipse pro defendenda „caussa adeo æqua suas quoque vires „jungat. „ Accepto hoc responso in- eunte Menfe Novembri edictum vulga- batur, vi cuius Demundius Comes tanquam patriæ proditor, ac læsæ Ma- jestatis reus fuit declaratus.

§. VI.
*Ordo Sancti Basili a summo Ponti-
 fice restauratus.*

*Bull. t. 2.
 Conf. 58.*

Jam dudum Ordo Sancti Basili, qui a sancto Basilio Cappadociæ Episco- po non modo nomen, sed etiam regu- lam ab Orientis Cœnobitis adoptatam acceperat, sese latius per Occidentem tanto progressu diffuderat, ut in solo Neapolis Regno centum quinquaginta illius monasteria numerarentur: cum vero disciplinæ relaxatio, temporumque iniquitas maxime Conventuum nu- merum imminuisset, Gregorius XIII. Papa

Papa regularis instituti vigorem revo-
care adlaborabat, hancque in rem hoc
anno salutis nostræ millesimo quingen-
tisimo septuagesimo nono die prima
Novembris Constitutionem vulgabat,
qua præcepit, ut cuncta hujus Ordinis
monasteria tam in Italia, quam in Hi-
spaniis erecta deinceps in unam Con-
gregationem redigerentur, ac juxta In-
nocentii III, & Concilii Tridentini de-
creta omnes sub unius Abbatis regi-
mine viverent. Huic reformationi, quæ
ritum græcum sequitur, in pluribus ta-
men rebus sese latinæ Ecclesiæ confor-
mat, plurima contulit privilegia: por-
ro duo reperiuntur Monasteria, in qui-
bus divinum Officium juxta ritum la-
tinum peragitur, præ ceteris autem o-
mnibus monasteriis longe celeberrimum
est Messanense, cui plusquam quadra-
ginta Abbatiae obnoxiae sunt: insuper
in Hispania quamplurima sunt Monaste-
ria Italicas Abbatii unita, quæ itidem
latino ritu utuntur: alia vero refor-
mationem juxta Constitutiones eis post-
ea a Clemente VIII. traditas profiten-
tur, ac quarto etiam voto hanc disci-
plinæ restaurationem amplecti obstrin-
guntur.

Sæcul XVI.
A C 1579.

Spond. n. 6.

§. VII.